

tem colendam, maxime vero ad beneficentiam erga pauperes exercendam, siquidem hæc, inquit, perfecta religio est, quæ homines ad cælum ducit, quæcumque sit hujus religionis doctrina aut denominatio.

HINC :

QUÆR. 1^o *An liceat pythones, seu pythonissas, quæ media vulgo dicuntur, consulere, cum certa persuasione defunctorum spiritus respondere?*

2^o *An saltem liceat hujusmodi consultationibus adesse, mere passive se habendo?*

3^o *An excusentur ii qui in mente sua omnem diabolicam interventionem excludunt?*

SOLUTIO :

277. — *R. ad 1^m Quæst. Negative* prorsus. Certum est enim nihil a Deo in sacris Scripturis apertius damnari quam hanc curiositatem, quæ homines in terris degentes ad mortuos consulendos movet (1). Pessimum igitur hoc est divinationis genus, ab ipsa idololatria non multum dissimile. Etenim quinam sunt isti qui propositis interrogationibus respondent, nisi ipsi dæmones, qui mortalium curiositate ad eos fallendos abutuntur, animas defunctorum simulantes se esse? Hujus rei argumentum est ipsa natura revelationum, quæ in his consultationibus manifestantur; cum enim multa sint quæ ab ipso medio oriri non possint, utpote occultissima, plurima simul reperiuntur falsa, impia, ridicula, quæ mendacis spiritus, seu dæmonis interventionem arguunt. Et revera, ea quæ sunt omnino occulta cognitionem et captum personæ intermediæ superant; ergo ipsius naturali scientiæ tribui nequeunt. Insuper ea quæ sunt impia, utpote dogmatibus Fidei catholicæ opposita, ut negatio pœnarum æternarum in inferno, a spiritu bono repeti nequeunt. Blasphemum quippe foret, non solum hujusmodi revelationes Deo vel Angelis bonis adscribere, sed etiam supponere divinam Majestatem vanæ hominum curiositati adeo facile connivere, et eorum insulsæ voluntati serviliter obtemperare. Putasne Deum summum et sapientissimum arcana ordinis supernaturalis, et occultissima secreta æternitatis suæ, quibus livet obviis homuncionibus vel mulierculis, ad nutum eorum manifestare vel permittere, ut indiscriminatim prodantur, cum ipsis Sanctis amicis suis paucissima revelaverit?

Nonne etiam patet totam ferme Religionem revelatam, ex doctrinæ quæ a spiritibus docetur, destrui ac penitus evelli, nihilque superesse nisi quamdam religionis umbram, quæ generali et vago nomine virtutis et beneficentiæ appellatur?

Ergo omnino reprobanda est tum consultatio spirituum, tum impia doctrina quæ ab istis immundis spiritibus perhibetur, utpote Fidei catholicæ opposita, et a Deo ipso in sacris Scripturis prohibita.

(1) « Nec inveniat in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. « Nec sit incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. Omnia hæc abominatur Dominus. » Deut. XVIII. 10.

278. — *R. ad 2^m Quæst. Etiam negative.* Etenim consultatio prædicta spirituum est impia, utpote mandatis Dei, et ipsi Religioni ab ipso revelatæ, opposita, atque superstitione et idololatria plena. Ergo non licet hujusmodi consultationi connivere, plaudere et cooperari. Atqui assistentia, etiam mere passiva ex cupidine vanæ curiositatis satiandæ, est conniventia, plausus, et indirecta cooperatio ad rem in se malam; ergo illa assistentia est graviter illicita. Recole dicta supra n. 272, de assistentia experimento tabularum rotantium.

279. — *R. ad 3^m Quæst. Iterum negative.* Ratio est, quia, cum res ista evidenter mala sit, corrigi nequit per intentionem qua malum excludatur. Numquid enim excusaretur ille qui se e tecto præcipitem daret, eo quod intentionem se occidendi excluderet? Minime, sane. Ergo neque excusari potest ille qui dæmones consulit, licet intentionem cum ipsis commercium ineundi excludat. Ergo, non obstante bona intentione, seu protestatione contra diabolicum interventum, HELENA a peccato gravi, per se, excusari non potest. Quærat igitur solatium in oratione, in Dei obsequio, ejusque mandatorum adimplentione: hæc est enim sola via quæ ducit ad vitam. Sciat quoque se in responsis, quæ a spiritibus accipit, minime posse confidere. Etenim, si responsio veniat a pythone, incerta est cum ipse hoc ignoret; si oriatur a dæmone, non majorem meretur fiduciam, cum ipse sit mendacii pater (1).

CASUS XV.

DE TENTATIONE DEI.

MACRINA, Monialis, observantiarum communium parum studiosa, verum singularitatibus multum dedita et in sensu suo satis pertinax, frequenter jejunit, de nocte surgit ad orandum, et similia quædam facit, quæ illam in evidens et proximum periculum inducunt, attenta ejus physica constitutione, morbos graves contrahendi, vel etiam vitam amittendi. A Superiore sua sæpe monita ne talia faciat, nihilominus hanc agendi rationem servat, eo quod, inquit, occasionem dare Deo velit exercendi et ostendendi benignam quam habet curam de iis qui pœnitentiæ operibus vacant, simul et potestatem quam habet illos ab omni malo servandi.

Postea autem revera graviter ægotans, omnes medici præscriptiones respuit, sperans se a Deo solo sanandam.

HINC :

QUÆR. *An, et qualiter MACRINA in his peccaverit?*

SOLUTIO :

280. — *R. 1^o Peccavit graviter MACRINA contra quintum Decalogi præceptum, seipsam gravi vitæ periculo exponendo, absque ulla necessitate,*

(1) Vide plura de spirituum consultatione, in variis opusculis nuper editis, imprimis, DU SPIRITISME, par le R. P. Nampon, de la Compagnie de Jésus : Lyon, 1863, librairie de Girard et Josserand. — LES MORTS ET LES VIVANTS : Entretiens sur les communications d'outre-tombe, par le R. P. Matignon, S. J., Paris, 1862.

aut proportionata utilitate, sed tantum ex propriæ voluntatis inclinatione. Attamen in hoc Religionem non adhuc læsit.

2° Peccavit graviter, Deum etiam *explicite* tentando, cum eam agendi rationem derelinquere prorsus renuit, bonitatem Dei et potentiam experiendi causa, ab eo expectans ut incolumis servaretur.

3° Peccavit graviter Deum *implicite* tentando, cum in gravi morbo omnes medici præscriptiones respuit, ut a Deo solo sanitatem expectaret. Non autem Deum tentasset, si, remedia omittendo, ejus providæ voluntati sortem suam indifferenter commisisset. Attamen in morbo gravissimo mortaliter peccaret, si media a divina Providentia subministrata ad vitam servandam abjiceret. *V. Comp. n. 282 et seq.*

CASUS XVI.

DE SACRILEGIO 1°.

RENATUS die festivo ad Ecclesiam accessit, non quidem Dei honorandi gratia, sed videndi et conveniendi sponsam. Toto autem Sacri tempore, oculos in aspectu hujus puellæ impudice pascere, morose in pravis cogitationibus delectari, seipsum tangere et polluere non intermisit. Finitis vero divinis Officiis, eandem puellam quibusdam signis invitavit ad copulam in alio loco habendam.

HINC :

QUÆR. 1° An RENATUS sacrilegium commiserit turpi aspectu, morosa delectatione, tactu impudico, pollutione, necnon invitatione ad peccandum extra Ecclesiam?

2° An Ecclesia polluta fuerit per RENATI pollutionem?

SOLUTIO :

281. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° RENATUS sacrilegium non patravit, obscenis cogitationibus in Ecclesia ipsa adhærendo, quia reverentia loco sacro debita, peccatis mere internis, quæ per se abstrahunt a loco, et ad locum non referuntur, non læditur. *V. Lugo, de Pœnit., D. 16, n. 465.*

2° Neque sacrilegium patravit in aspectu sponsæ, in loco sacro libidinose delectando; quia aspectus ille, quatenus actus externus, peccatum grave non est, nec graviter honori loci sacri detrahit, licet ille in corde graviter deliquerit.

3° Graviter et sacrilege peccavit, pollutionem, licet secretam, in Ecclesia habendo, et toties quidem quoties eam iteravit; quia evidenter locus sacer, turpissimo hoc peccato, gravi irreverentia afficitur.

4° Graviter etiam et sacrilege peccavit, saltem probabilius, in Ecclesia tactus graviter impudicos in proprium corpus excercendo, ob eandem rationem. Ita, ut *absolute probabilius*, *S. Lig.* et alii *communiter* contra nonnullos.

5° Probabiliter autem sacrilegium non commisit RENATUS sponsam ad alibi peccandum, signis in Ecclesia invitando, quia istis signis locus sacer injuria gravi affici non videtur. Attamen de hoc controvertitur. *V. Comp. n. 285 et seq. — Elbel, n. 575.*

282. — *R. ad 2^m Quæst.* Ecclesia non fuit polluta per RENATI pollutionem, licet sacrilegium ab eo patratum fuerit, ut dictum est. Ratio est, quia ex Jure canonico Ecclesia non polluitur, ita ut solemnī reconciliatione indigeat, nisi per publicam profanationem; atqui in hypothesi pollutionis est secreta: ergo Ecclesia non fuit polluta.

CASUS XVII.

DE SACRILEGIO 2°.

CAMILLUS, Ecclesiæ cujusdam custos, audit die quadam magnum tumultum in eadem exortum esse. Miratur valde et statim currit, quid rei esset exploraturus, cum ecce! deprehendit duas mulieres de dominio cujusdam libri precum contententes, et inter se rixantes, ita ut una ab altera percussa copiosum sanguinem e naribus effuderit. Honoris divini zelo inflammatus, *novus Phinees*: « Discedite subito, ait, malæ bestię! » et arrepto baculo, aliam mulierem reluctatam in faciem percussit, ita ut etiam ipsa discedens sanguinem fuderit.

HINC :

QUÆR. 1° An mulieres commiserint sacrilegium rixando? An ipse custos mulieres percutiendo?

2° An sit polluta Ecclesia propter sanguinis effusionem?

SOLUTIO :

283. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° Mulieres commiserunt gravem irreverentiam sacrilegam, in Ecclesia graviter rixando, et magnum tumultum in ea creando; levis tamen censeretur irreverentia et sacrilegii malitia, si rixa vel contentio non fuerit gravis.

2° Custos vero ab omni sacrilegio est excusandus, quia mulieres percutiendo, zelo divini honoris impulsus, minime peccavit, nec proinde injuriose erga Ecclesiam egit. Etenim, quod mulieris faciem baculo tam graviter percusserit, ut sanguis eliceretur, inadvertentiæ et casui adscribendum videtur. *Elbel, n. 579.*

284. — *R. ad 2^m Quæst.* Non fuit polluta Ecclesia per sanguinis effusionem; etenim polluta non fuit ex parte custodis, quippe qui minime peccavit, uti dictum est. Sed neque ex parte mulierum; nam percussio nasi *per se* non fuit graviter peccaminosa; præterea nares sunt organum nimis promptum ad effundendum sanguinem, ut effusio sanguinis proprie dici possit. Plures requirunt ad Ecclesiæ pollutionem non solum notorietatem facti, sed etiam juris, seu ut sententia juridica de facto lata fuerit. Sed recte advertit *S. Lig. l. 6, n. 364*, hoc minime esse necessarium. *V. Comp. tom. II, n. 388. — Elbel, n. 578.*

CASUS XVIII.

DE SIMONIA 1°.

ANDRONICUS, Sacerdos, cuidam *Comiti*, jure patronatus ob beneficium gaudenti, pluribus annis officia præstitit, sub spe assequendæ promotionis. Ecce, dum vacasset nuper beneficium, existimavit ANDRONICUS, sibi con-

ciliandam esse *Comitissæ* benevolentiam, priusquam optatum beneficium lucraretur. Ad eam igitur accedens, allegatis officiis meritisque suis, humiliter eandem rogavit ut apud Comitem intercedere dignaretur, quatenus se potius quam alium præsentaret. *Comitissa*, auri cupida, respondit: « Heu! jam plures apud me se insinuarunt, quorum unus promisit se perpetuo fore gratum, alter centum aureos, tertius bis centum mihi spondit. Horum supplicationes sperni non possunt. » — « Ast ego ait *ANDRONICUS*, etiam bis centum scuta spondeo. Hæc sane cum meis officiis præponderabunt. »

HINC :

QUÆR. 1° An *ANDRONICUS* sit *simoniæ* reus, ex eo quod officia *Comiti* præstiterit sub spe beneficii obtinendi, et merita sua postea allegaverit?

2° An incurrerit *simoniam* quia se perpetuo gratum fore promisit?

3° An *ANDRONICUS* et alii duo *simoniam* commiserint, pecuniam *Comitissæ* pro intercessione promittendo? et *Comitissa* pecuniam ad hoc accipiendo?

SOLUTIO :

285. — R. ad 1^m Quæst. 1° *ANDRONICUS* ab omni *simoniæ* labe est excusandus ex eo quod præcise sub beneficii spe *Comiti* servierit, quia in hoc nullum intervenit pactum dandi vel obtinendi spirituale pro temporali; spes enim nullum jus speranti tribuit. 2° Neque *simoniæ* reus est habendus *ANDRONICUS* ex eo quod, supplicando, sua præterita merita ad causam obtinendam retulerit, quia nullum habetur pactum inter ipsum et patronum; siquidem, officia prius peracta rememorando, nihil prorsus promittit: ergo contractus nullus intervenit.

286. — R. ad 2^m Quæst. Neque *simoniam* incurrit ille qui se perpetuo gratum fore pro intercessione promiserit, modo non *antede* aliquid determinate præstandum promiserit; ratio est, quia nullum intervenit pactum neque ulla intentio spirituale pro temporali erogandi, sed tantum promissio gratitudinem benefactori debitam ostendendi. Attamen similes promissiones gravi periculo non vacant, quia facile collatores beneficiorum per illa verba aliquam obligationem concipiunt, in ordine ad aliquid temporale recipiendum.

287. — R. ad 3^m Quæst. *Affirmat.* Etenim *simoniæ* egerunt *ANDRONICUS* et alii, quia obtulerunt pecuniam *Comitissæ* in ordine ad beneficium consequendum, seu ut via ad id sterneretur; siquidem non tantum pecuniam tribuerunt ad amicitiam matronæ sibi conciliandam, cum spe ut, dono mota, patrociniū in sui favorem adhiberet, sed et cum pacto, ut ipsa ad rem spiritualem obtinendam intercederet. Hæc autem intercessio pretio æstimata fuit propter ordinem dumtaxat, quam habebat ad rem spiritualem, seu quatenus erat virtualis quædam beneficii collatio: ideoque emi non potuit, quin incurreretur *simoniæ* reatus. *Comitissa* etiam *simoniæ* labem contraxit ex eadem ratione, scilicet, quia pecuniam ad intercedendum pro obtinendo beneficio accepit. *S. Lig. n. 64.*

CASUS XIX.

DE SIMONIA 2°.

GERARDUS, paterfamilias, vehementer cupiens ut *PAULINUS* ejus filius, neo-Sacerdos, ad pingue beneficium promoveatur: « Scio quid faciam, » ait; et statim, inscio prorsus filio, pergat ad *POLYBIUM*, quem novit Episcopo familiarissimum et gratiosum esse, eique magnam pecuniæ summam tradit, eo fine ut filio sua commendatione apud Episcopum patrocinetur. Episcopus, *POLYBI* precibus motus, cæteris posthabitis, libenter annuit, quin de pecunia data quidpiat animadvertat. Elapsis autem pluribus annis, *POLYBIUS*, remorsu conscientie percitus, rem totam Confessario pandit. Sed ab eo ut *simoniacus* damnatur, jubeturque ut quamprimum pecuniam Ecclesiæ tribuat, et ut *simoniacam* electionem *PAULINO* manifestet. Dura admodum videtur *POLYBIO* Confessarii decisio. Hinc alium quærit Confessarium, cui rem totam aperit. Hic vero dubius nescit quid respondeat.

HINC :

QUÆR. 1° An *recta* sit prioris Confessarii sententia?

2° An *PAULINUS* teneatur beneficium dimittere, et acceptos fructus restituere?

3° Quid *POLYBIO* præscribendum?

SOLUTIO :

288. — R. ad 1^m Quæst. Communis sententia est, ut diximus in casu præcedenti, ejusmodi electionem non carere *simoniæ* reatu; non consentiunt tamen Auctores inter se, utrum hæc sit *simonia* Juris divini, an vero Juris ecclesiastici tantum. Cæterum, cum vere *simoniaca* fuerit electio, nihil obstat *PAULINI* ignorantia, et bona fides, quominus electio sit invalida.

289. — R. ad 2^m Quæst. Distinguendum est. Si non possidet beneficium a triennio, illud dimittere debet; si vero a triennio possideat, probabilius illud retinere potest. Hæc regula statuitur in *Jure canonico, cap. 11, de Simonia, Extrav. Comm.*; ubi habetur: « Ut beneficiatus inquietari nequeat, si a tribus annis beneficium absque ingressu *simoniaco* possideat. » Hinc concludi debet *PAULINUM* nostrum ad beneficium dimittendum non teneri. Etenim bona fide beneficium ingressus est: ergo non *simoniæ*. Jus canonicum excipit quidem eos qui *simoniaco* modo possessionem inceperunt in peccati punitionem; sed *PAULINUS* non peccavit: ergo excipi non debet. *Suarez, de Simonia, c. 57, n. 39. — Collet, tr. des Dispenses, l. 2, c. 2, n. 15. — Elbel, n. 640.*

Quod ad fructus, *PAULINUS* non tenetur restituere eos quos, durante bona fide, consumpsit, aut tanquam stipendium recepit, etiamsi possessionem triennem non fuerit consecutus; extantes vero debet restituere. *Suarez, c. 57, n. 36.*

290. — R. ad 3^m Quæst. Certo injungendum est *POLYBIO* ut acceptam *simoniæ* pecuniam abiciat. An vero teneatur eam in Ecclesiam vel in causas pias impendere, aut potius debeat *GERARDO* restituere, non liquet.

Jus canonicum statuit quidem ut, in pœnam simoniæ, pecunia in usus pios impendatur; sed controvertitur utrum id fieri debeat post sententiam judicis ecclesiastici tantum, vel etiam ante sententiam. Hinc POLYBI Confessarius, potuit quidem pœnitenti suadere ut pecuniam simoniace acceptam in Ecclesiam aut in causas pias impenderet, potius quam domino restitueret, non vero id præscribere.

CASUS XX.

DE SIMONIA 3^o.

EVODIUS, Parochus, ætate grandævus, statuit beneficium suum JULIANO, fratris sui filio, resignare, sed cum onere ut JULIANUS sibi ad dies vitæ certam pensionem ex beneficii fructibus annuatim solveret. Peracta hujusmodi conventionem, Evodius in manus Episcopi parochiam suam resignavit, simul eum humillime supplicando ut parochiam hanc JULIANO, fratris sui filio, conferre dignaretur. Episcopus, tum intuitu meritorum Evodii, tum etiam intuitu JULIANI ipsius, egregiis dotibus insignis, libenter annuit, nihil tamen sciens de pacto quo prius Parochus senex et junior Sacerdos inter se convenerant.

HINC :

QUÆR. 1^o An EVODIUS simoniam commiserit?

2^o Quid de valore hujus resignationis tenendum?

SOLUTIO :

291. — R. ad 1^m Quæst. Affirmative; excusari enim nequit EVODIUS a labe simoniæ juris humani, ut constat ex variis locis Juris canonici, in quibus interduntur expresse omnes conventiones privatæ circa beneficia ecclesiastica, aut præbendas.

Objicies : In hoc casu nullum pactum simoniacum prorsus intervenit; sed EVODIUS duntaxat beneficium suum valde pingue resignavit JULIANO, reservato sibi jure ad nonnullos fructus ex eodem beneficio percipiendos. R. Jus ad fructus beneficii percipiendos inseparabile est ab ipso beneficio, ita ut sola auctoritate Summi Pontificis, vel Episcopi in quibusdam circumstantiis, separari possit. Ergo EVODIUS volens resignare beneficium, debuit pariter resignare jus ad fructus ex eo percipiendos. Igitur, cum resignatio facta fuerit privata auctoritate, ex pacto inter utrumque Sacerdotem inito, uterque simoniæ labem contraxit. — *Henno*. — *Elbel*, n. 647-648.

292. R. ad 2^m Quæst. Prædicta resignatio fuit prorsus nulla et invalida. Etenim hæc resignatio fuit simoniaca, siquidem conventio auctoritate privata habita est circa beneficium transferendum : ergo pœnas simoniacorum post se trahere debet; atqui inter pœnas simoniacorum numeratur nullitas actus, et inhabilitas ad beneficium saltem idem obtinendum. Ergo hæc resignatio nulla fuit. Similiter nulla fuit collatio facta ab Episcopo, utpote facta subjecto de jure incapaci et inhabili. *Elbel*, n. 649. — *Lacroix*, l. 4, n. 948. Si tamen ab Episcopo vel Summo Pontifice postulatum fuisset ut Parocho, annis gravi, aliquid, uti mos est, tribueretur, eorum præcedens tractatus culpabilis non esset, quia conditio adderetur : *si Superiori placebit*.

CASUS

DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De vana usurpatione SS. Nominis Dei. De juramento, et adjuratione. De voto; seu de ejus valore, obligatione, cessatione, dispensatione, irritatione, et commutatione.

CASUS I.

DE BLASPHEMIA.

Et vana usurpatione SS. Nominis Dei.

COCLES, auriga, confitendo se accusat quod sæpius contra equos lentius procedentes blasphemaverit, et etiam pluries contra homines sibi molestos. Interrogat Confessarius, quænam fuerint blasphemiarum. Respondet se frequenter exclamasse; O Deus! Deus Dei! nomen Dei! nomen nominis! (*nom de nom*) mille nomina! *sacrum* nomen! Frequenter etiam, pergit, *sacravi* equos, homines, creaturas etiam inanimatas, et interdum *sacravi* ipsum Dei nomen; id est, dixi : *sacri* equi, etc..., *sacrum*-nomen Dei. Sed, ait, non Deo impropere, sed equos tantum stimulare, vel homines objurgare, et similia intendi.

HINC :

QUÆR. 1^o An COCLES peccaverit et blasphemaverit usurpando varias formulas, secluso Dei nomine?

2^o Quid si nomen Dei interveniat, absque verbo *sacrum*, aut vice versa?

3^o An blasphemaverit sacrandum, ut aiunt, Dei nomen?

4^o An excusari possit a peccato mortali, ex eo quod non intenderit Deo impropere?

SOLUTIO :

293. — R. ad 1^m Quæst. Neg. Illæ enim formulæ quæcumque sint, in quibus nomen Dei non intervenit, non sunt graviter Deo injuriosæ, sed meræ formulæ vel locutiones, ad indignationem in homines, vel jumenta, vel etiam res inanimatas prolata.

R. ad 2^m Quæst. Neque hæc communiter inter blasphemias recensentur, sed sunt tantum locutiones ad creaturas directæ, aut vana usurpatio nominis Dei, quod veniale non excedit.

294. — R. ad 3^m Quæst. *Sacrare nomen Dei*, ut aiunt, quod adeo frequenter accidit in Gallia, seu conjungere verbum *sacrum* cum sanctissimo Dei nomine, a peccato gravi blasphemiarum excusari non potest, *materialiter* loquendo, seu *per se*. Ratio est, quia, ex usu recepto, vox *sacrum*, in hoc